



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**

**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

XVIII. An libri quidam idcirco configendi, quod eorum argumenta premi,  
nec vltteriùs agitari placeat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**

## EROTEMA XVIII.

*An libri quidam idcirco configendi, quod eorum  
argumentum deinceps premi, nec ulterius  
agitari placeat.*

DE hac re egeram plenè hoc loco, discussis latè & accuratè rationibus, quibus constaret, eam praxim premendi quasdam materias, prætextu duntaxat pacis conseruandæ, non videri admodum commodam Ecclesiæ, neque esse consentaneam vsui maiorum. Nonnullæ quidem sunt quæstiones, quarum agitatio inducere posset dissidia, atque tumultus in populis, ac proinde quas premere præster; (quidam namque errores nequaquam tam latè se potuissent effundere, nisi contentione creuissent, vt dixit Seuerus Sulpitius *dial. 1.* agens de Origenis dogmatibus, & libris.) Ex altera tamen parte, periculum imminere videtur, ne inhibita plurimarum materiarum discussione ac vulgatione, oclusas breui videamus Theologiæ scholasticæ conclauium fores; quandoquidem à paucis annis tam multarum quæstionum Theologicarum, & propè omnium, in quas incurrere concertationem aliquam contingit, discussione, saltem, quæ libris editis euulgetur, est interdictum. Inferbuit de summo nitore, ac tersissima puritate Conceptionis Beatæ Mariæ, de eluctabilitate efficacium gratiæ auxiliorum, de indirecta summi Pontificis potestate in temporalia, de hierarchiæ finibus, de necessitate & materia proxima Confirmationis, aliisque hypermisticæ Theologiæ capitibus contentio, quam non more maiorum, Pontificia, aut conciliaris definitio diremit; sed indictum iustitium, obstructo ore, & confractis calamis, verita eius agitatione suppressit, ac silentij sipatio obduxit. Standum esse iussis maiorum, nemo in dubium reuocat sanus. Suggestere tamen debita cum humilitate maioribus, quid incommodi prohibitiones illæ inferre queant, nemo iure reprehendat, cum Moyses spiritu Dei plenus, Ethnici hominis suggestionem non sit auersatus. Hoc itaque est, quod hoc loco præstiteram. Postea tamen, cum ante quinquennium mihi Româ in Gallias regredienti, summus Pontifex imperasset, vt rationes quas ad laxandam prohibitionem à me conquisitas & discussas dixeram, Romam examinandas transmitterem, auulsam ab hoc opere rationum illarum tractationem, retuli in peculiarem dissertationem, cui hunc præfixi titulum, *Theologia supplex, instructa libello, pro libera quæstionum scholasticarum inter Doctores discussione, cum charitate atque modestia.* Hæc causa est, cur disputatio de re proposita, hier hoc loco, nec ad Erotema præfixum, detur responsio.